DEO OPT. MAX. VNI ET TRINO, VIRGINI DEIPARÆ, ET SANCTO LVCÆ ORTHODOXORVM MEDICORVM PATRONO.

1160

QVÆSTIO MEDICA

QVODLIBETARIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA

IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE IOVIS VIII. IANVARII.

M. CLAVDIO LE VASSEVR, Doctore Medico, Præſide.

An motus cordis à ſanguinis fermentatione?

SPIRITVS Genitor per totum ſeminis corpus diffuſus & cuncta permeans, operiſque ſui diuturnitatis non minùs auidus quàm conformationis, duobus ad illius ſtabilitatem & firmitatem planè neceſſariis vtitur, motu ſcilicet & nutritione; illo calorem partibus intimis quaſi ſopitum & torpeſcentem excitat, hâc humidum primigenium partiúmque ſubſtantiam calore abſumente marceſcentem reſarcit & reparat; Quam ad rem nihil aptius, nihil accommodatius inuenit ſanguine, cujus gratiâ ne vagus & incertus viæ huc illuc diſcurreret, canales & tubulos qui illum conficerent, continerent, & per quos tanquam per aquæ ductus excurrere liceret, efformauit. Hi per gyros & amfractus multiplici ſobole in cor veluti in vnum coëuntes punctum, à quo exoriuntur, & in quod definunt, nectar illud viuificum non affatim & vniuerſim, ſed ſenſim & per vices in illud viſcus nobiliſſimum important & exportant. In ipſo colorem & calorem proprio & indeſinenti motu, cujus principium eſt & cauſa, acquirit, quo partes omnes alluendæ alendæque perfectiori veluti vitâ & vigore recreentur; ſingulis partibus calorem & ſpiritum, vitæ principia juſtâ proportione cor ita diſpenſat, vt ſi ſemel afficiatur, ipſi mox omnia conſentire, omnéſque peræquè partes ne munus expleant impediri certum ſit; ex corde, quod aliis eſt animus, excordes fiunt & concordes, illud præpotenti & naturali motu quo pollet omnibus fœcunditatem largitur, nec alterius auxilio indiget ad motum quod omnia mouet. Et licèt ſanguis naturâ ſuâ fluidus ebullitione factâ, ſummâ vi & impetu in cordis capacitatem appellat & intrudatur, plúſque caloris inibi quàm in aliis partibus repererit; non tantam idcirco rarefactionem indipiſcitur, vt per ſe viſcus cujus motus ſunt ordinati ad motum valentiorem cogat.

COR ad ſui tutelam & præſidium leui tunicâ proprio quaſi ſepimento obuallatur & obuoluitur: In eâ tenuis & modicus humor, qui tamen æſtuanti ſufficiat, deprehenditur. Hic autem humor non ex vaporibus cordis, membranorum frigore denſatis, ſed ex potûs portiunculâ in thoracem illabente genitus in illius refrigerationem & commodum abſumitur, ne fortè ardore aſſiduo ob frequentes, ne dicam perpetuos motus illi proprios flammam duriorum corporum inſtar conciperet, ex quorum attritu mutuo ſcintillæ, quę nuſquam ex aëre inflammato fiunt, ſolent excitari. In medio thorace ſitus eſt ſol ille viuificus, vitalem ſpiritum & influxus in omnia extrema æqualiter diffundens, cujus magnitudo, quæ ex ſe quidem exigua eſt, non in omnibus eadem & æqualis cernitur; Timidis & ignauis grandius cor datum eſt, audacibus puſillum aut mediocre: Illud pet ſingulos annos ad quinquageſimum vſque augeri, & ab ipſo ad extremum ſenium decreſcere fabuloſum eſt. Solidâ carne compactum eſt, ne in validis & aſſiduis motibus diſrumperetur, & violentis quibus in dies afficitur paſſionibus obſiſteret. Villi quibus illius carnem intertexuit natura, & adnaſcens circa ipſum pinguedo non exſanguinis vt lactis ad conficiendum butyrum agitatione concreta, illúdque vt ſeuum circumagendas rotas obliniens, motûs illius neceſſitatem oſtendunt. Cor ergo mouetur vt & cæteræ partes quæ ſuccum à ventriculo confectum trahunt, deponunt, & nonnunquam excrementis exturbandis ingenti dolore cruciantur. Triſte aut jucundum finis eſt cujus gratiâ cor motum intendit; ſibi ipſi priùs proſpicit, quàm reliquo corpori, nec vt aëri aditum præbeat dilatatur, nec vt fuligines diſcutiat conſtringitur quod ad proprium ſitum redire amat. Hi motus vt ſimpliciores, ita naturâ priùs exiſtunt, ex quibus non minima emanant beneficia naturę cognita; dilatatione novus inſpiratur aër, qui compreſſione jam excalefactus & inutilis cum fuliginibus expellitur: & ita hiſce variis mutationibus cordis conſeruatur temperies, quâ deſtructâ & pereunte, tota corporis œconomi cum ipſo corruit.

ΣΥΜΩΣΙΣ quæ ζέσεως nomine donatur ſæpiſſime, ſed perperam, nihil aut minimùm à putredine diſtat; in eâ quippe ſubtiles & magis actuoſæ partes ab agente externo in motum concitatæ, ſe ſe quoquouerſum explicant, conantúrque à ſe inuicem diſſolui, donec craſſiores, à quibus implicitæ detinentur, priorum niſu & actione ſubigantur attenuentúrque, nec ampliùs pondere & grauitate tanquam vinculo colligatę & coërcitæ, vnà cum illis in auras abeant: In eâ craſſa terrénaque materia inſtar farinæ triticeæ ſubactæ vi fermenti in tumorem leuem ſimul & attollitur, conceptóque aëre diſtenditur, inflatur, & ebullit: Sic atra bilis melancholiæ, vel ſanguinis, vel flauæ bilis exuſtione genita acore ſuo quem contraxit aceto ſimillimum, in terram effuſa protinus vt muſtum intumeſcens terræ partes abradit, quæ motione quâdam ſpirituoſâ in majorem molem aſſurgunt; ſic facto per agitationem feruore ὄξεα, quæ priùs concreta fuerant, euadunt ἐζυμωμένα. Non idem tamen in corde contingit, quod licèt à primo ſuæ formationis momento reciprocatione perpetuâ dilatetur & conſtringatur, nuſquam fermentatione turgeſcit. Illud ne minima ſanguinis portio ſiniſtri illius ventriculi calore fermentata, ſi alteri aduenienti ſanguini permiſceatur, impellit ad motum. Pulſat cor vt incaleſcat, non calet vt moueatur; ab ipſo non modò æſtuat ſanguis, ſed etiam omnes & ſingulæ corporis partes motum mutuantur à corde, cujus influxu deſtitutæ frigeſcunt. Nunquam impunè feriatur, immo illius tanta eſt neceſſitas ad vitam, vt nunquam repentina mors accidat niſi ceſſauerit.

NIHIL in animantium motionibus fortuitum, omnia naturæ ductu fiunt aut ab animâ: naturæ motus certi ſunt & definiti, animę liberi & indefiniti; vnum & idem ſemper pręſtat natura, leuia ſurſum feruntur, grauia ponderis inclinatione concidunt. Cordis οὐλομένη in ſolâ continûâque motûs agitatione conſiſtit, quam nec ſedare pro voluntatis arbitrio poſſumus, nec excitare. Hæc adeo cordi naturalis eſt & propria, vt etiam cor è thorace auulſum diù palpitet. Tandiù viuit cor quandiù mouetur, moritur cùm ceſſat moueri, juréque principium vitæ dici debet quod præſentiâ ſuâ vitam largitur, & abſentiâ adimit. Nihil ad calorem producendum magis efficax præter motum, quem nec cordis, vt nec aliarum partium temperies, nec certa elementorum permixtio vnquam efficit. Hunc motum cor ſicut animalis facultas quietis viciſſitudine nuſquam interrumpit: quin potiùs ejuſdem perpetuâ motione, ingenti calore tanquam flammâ exardeſcit, à quo tanquam à ſole animal reficitur, conſeruatur, & viget. Abſit tamen vt credas vim illam in corde pulſantem à vitali non diſcrepare; hæc in ſolo corde conſedit, illa arteriis & cordi communis eſt; hęc vitalis per cavitatem, illa per arterię tunicam influit; hęc denique vires ſuas ad oſſa, cartilagines, carnem, ad omnéſque corporis partes tranſmittit: præter cor & arterias pars omnino nulla agitatur, & pulſat. Atteriarum motus cordis pulſationi tum magnitudine, tum celeritate & frequentiâ licèt reſpondeat, ejúſque motus cauſa eadem ſit ac ea quę cor mouet, hę tamen dilatantur dum compreſſum cor in eas ſpiritum immittit, comprimuntur in diaſtole. Cor ex venâ cauâ ſanguinem allicit in dextrum ſuum ſinum, & per venam arterioſam ſangninem in pulmones effundit, quem attenuatum per arteriam venoſam vnà cum aëre in ſiniſtrum rapit, ex quo confectum jam vitalem ſpiritum in aortam, ſimúlque in minores arterias quæ tunc dilatantur emittit. Cęterùm, pręter hęc quę cor ſuo motu, caloris influentis acceſſione, inſiti conſeruandi gratiâ molitur, alium motum excogitauit natura, circularem ſcilicet, quo ſanguis à corde per arterias ad extima, & ab extimis per venas ad cor reflueret, vt partes quæ ob diſtantiam à corde calorem diutiùs conſeruare non valent, nouum denuo ſanguinem & in puriores ſpiritus conuerſum haurirent.

COR flamma ignis immortalis & puriſſimus, animę quaſi περίβολον & ſeptum, facultatis vitalis ſedes pręcipua. Putredinis impatiens eſt, nec vnquam ſine ſummo vitæ diſpendio fermentum àdmiſit. Quid enim aliud in fermentatione pręter putredinem inuenire licet, quę aliena eſt, pręter aciditatem, quę fortuita? Valeat ſuccus ille acidus, chylus à neotericis falsò creditus, & quem ad cor conficiendo ſanguini per vaſa lactea thoracica deferri volunt, hic ſolùm refrigerando ſanguini aut diluendo potiùs inſeruiat. Nutrimur dulcibus, acidum cor non patitur. Si nonnihil in illius receſſibus fermenti naturam indueret, imminetet ſuffocationis metus, aut in ſyncope, aliiſque ftigidis affectionibus coagulatus ille ſanguis in fermentum deſtinatus nec facilè diſſipabilis, cordis ventriculos obturaret: Vnde mors ineuitabilis. Ab ipſo fermento cor coufusè ſemper & inordinatè, modò validiùs, modò debiliùs pulſaret, prout major minórve fieret fermentatio, & arterię non vno eodémque momento pulſarent, ſi ſolius influentis ſpiritus & ſanguinis in vapores extenuati copiâ implerentur, quod nequeat puncto temporis ſpiritus per arterias in corporis extrema peruadere. Dum feruet pectus iracundiâ & ſanguis circa cor ebullit, longè minor percipitur cordis pulſatio, quàm in timore, qui pręaffluentiâ & craſſitie ſanguinis ipſum premit & ſuffocat. Sicut in ollis lac aut oleum in momento non rareſit & turget, vt neque quod in Æolipilis aqueum eſt, ita nec in ſanguine tam ſubiti tot particularum inter ſe fiunt ſeceſſus, qui cor violento motu & diſtentione ſummâ diſrumperent, quod ſecus donec ſanguis in illius ſinus fermentationem concepiſſet, immotum maneret & languidum. Qui fermentationi cordis motum concedit, perinde facit ac ſi ſerrę aut cuiuis inſtrumento efficiendi poteſtatem tribuit. Alternis vicibus cor deprimitur & attollitur, quod jugis & nunquam deſinens impediret fermentatio. Exulet qui de his aliter ſenſerit, ne modico fermento totam Medicinę maſſam hæretico acore corrumpat.

Non ergo motus cordis à ſanguinis fermentatione.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. Nicolaus Robin.
M. Iacobus le Meneſtrel.
M. Carolus Briſſet.
M. Nicolaus Bonuarlet.
M. Nicolaus Rainſſant.
M. Iacobus Boujonier.
M. Germanus Preaux.
M. Petrus le Comte.
M. ~~Petrus~~ Blondel.

Proponebat Lutetiæ PAVLVS MATTOT Pariſinus, Scholarum Archidiaconus, A. R. S. H. M. DC. LXV.